

Verum, si quis erit, clarum clementia nomen
 Cui dedit, et placido cui favor ore sedet;
 Hujus adite fores, atque intromissa modeste
 Ante salutato reddite verba viro:

„Venimus ex patria, quam caerulus adluit Albis,

„Venimus ex Afra, quae tibi nota satis.

„Venimus ex Afra, quam nuper Apollo petebat,

„Mitis alumnorum carmina fusa legens.

„Legit, et haud asper rejecit carmina lecta,

„Vulgarique statim, quae placuere, jubet.

„Cunctantur timidi renuuntque, diuque recusant,

„Sed Divus variis instat Apollo modis.

„Venimus haud ultro, sed Divo missa, trementi

„Et pede; nam pectus speque metuque tumet.

„Fidimus at Divo, qui nos excedere jussit,

„Sicque timor nullus corda movere potest.“

Ite foras igitur! Ponatur, carmina, terror;

Namque probata Deo quisque probanda putat.

F. T. Friedemann.

LAUS POESEOS.

Phoebe, Parnassi celebrisque Pindi
 Praeses, argutis digitis lyram qui
 Temperas, nostro faveas labori,
 Carminis auctor!